HYDRIATRIA VULGO HYDROPATHIA DISSERTATIO INAUGURALIS...

Giovanni Garai

13

HYDRIATRIA

VULGO

HYDROPATHIA

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

AUCTORE

JOANNE GARAI

MAGYARO - BORSODENSI

PATAVII

EX TYP. ANGELI SICCA

1841

ILLI

QVI

OPEM FERRE

AMAVIT

NON

NOMINARI

GRATITVDO MEA

CONSECRAT

HYDRIATRIA

VULGO

HYDROPATHIA

Dulce est quibus humanae res deliciarum sunt, in saeculi nostri vicissitudines, fata et progressus oculos convertere, et videre quam giganteis vadat passibus ad metam, quam mens humana, et ipsa necessitas ipsi praefixere, certo et non vacillante tramite attingendam. Dulce est convertere oculos in luctam illam virilem, quam omnis, qui novit verum viri officium, irrequieto, improbo, indefesso sustinet hoccè saeculo brachio. Homo homini intimius jungitur, nam unus idemque omnes incitat impetus, continuo ad perfectionem tendendi. Dejecta jacent nunc maximam partem vetusta et obsoleta praejudicia; totidem quanti sumus lucem in tenebras infundere unico tendimus conatu; prostrata humo jacent sophismata; vita non amplius speculationibus manifestatur, non amplius ponderant sententiae; lapis lydius veritatum omnium experimenta et experientia sunt; qui his eloquenti, ast fallaci obstat loquela, opprobrio sibi ipsi est. Si quaerere vis, uti Diogenes, hominem lampade, nunc nunc illum invenies agentem irrequietum, ad leges naturae immutabiles veritates suas superstruentem.

Populi evigilant, et juste suum cuique pro basi felicitatis reciprocae exigunt; illi vero quos fatum illis

superiores esse voluit, splendorem suum et gloriam in eo inveniunt, quod propria qua possunt potestate, legem hanc necessitatis suffulciant et confirment.

Lites, quae inter diversos nunc nascuntur populos, non amplius sunt sitientes sanguinem irae, sanguine turpia lenocinia; sed sunt jurium societatis infractorum aut laesorum vindicatio, a ferocia multum remota. Sunt quasi tonitruum more salutares, quae aëres purgant, et novam excitant ad vim naturam.

Magnus ille, flagellum saeculi, ejusdem lucifer, quem Corsica sanguine nutriit leaena, in vacillantem saeculi, dira manu bella sua injecit bilancem; saeculi terraeque jam jam senescentis. Quem qui et amabant, metuere; quem qui admirabantur, odiabant; quem dum pectoris teneriora desideria execrando persequuntur, humanae illum mentis divinissima vestigia, aeterna cingunt corona; Titan ille rebellis, qui principes pedibus calcavit, et leve, maleprudens, inaneque reddidit pondus, coronae antea intactae gloriam; ille primus, ideas in sopore immersas in lucem potenti extraxit manu, et duxit eo, quo pergere gloriosum foret.

Volat ab eo tempore ingenii humani proles, quasi super alis fulminis, per integras regiones, terrae partes, viarum ferrearum, telegraphorum, vaporearum machinarum ope, remotissimas oras una quasi jungens catena, celerrimo illo communicationis emolumento. Montes non amplius sunt limites non superandi a natura inter diversos interjecti populos; sunt quasi ligamentum, florum coronam uniens, quo intimius sibi jungantur. Maria non amplius sunt vasta hominum conatui interposita aequora; sunt facilioris communi-

cationis viae; et quae antea mensium intervallo emetiebamur spatia, nunc aliquot dierum curriculo peragimus.

Audaces rapidissimos super fluvios jecti pontes uniunt quos natura divisos voluit; et quod inane saeculorum erat desiderium, unius nunc momenti divina scintilla maturat. Audaciores adhuc his illi, quibus viscera terrae meatum impertiuntur, quo infra aquam urgenti labore expugnatur via, quae supra non conceditur.

Et tu, deliciarum cunna, amoenissima Venetiarum, superba quondam, nunc moesta, sed et in luctu majestosa urbs, quam omnia mea desideria unico optatu cupiunt, quam ego salvam et gloria splendentem, sicut in illis tuis quondam diebus, dum per tres Orbis partes aurea tui Leonis ala splendebat, talem te a Jove ego supplico, ast sine cornuta illa Principis tui mitra, sub qua, opprobrium illud unicum humani cordis, mentis et omnis voluntatis oppressio, seculeis continebatur catenis; et tu, quam tantae paludosae a terra separant aquae, aditus tuos, juvante illo Patre, qui rebus tuis nunc pro tua fortuna praeest, Orbi aperies. Et Sol ille, qui dum declinat, aureo fulget super aquis tuis splendore, et illas ardentibus exestuat osculis, amicus illum salutabit, qui a longinquo, uno quasi ictu, tuas admirari appulit artis, saeculorum antiquissimorum divitias.

Chemia herculeis laborat brachiis in remotissimis et absconditis rerum arcanis detegendis. Non intimae latebrae corporum vivorum, quae imaginationi fere ipsi imperviae sunt; non anorganicorum tenuissimae

moleculae, quae viribus multum retrusis stupenda dum agunt vi, manifestantur; lux, aër, terra ab ejus omnia pervadentibus machinis intacta; usque ad vitam analysandam stupenda fertur audacia. Utinam ex tot tantisque sudoribus, unica saltem vitae scintilla unquam composita fuisset! Ast quae muta tegunt naturae secreta, irritum hominis reddunt laborem.

Medicina de die in diem novas capit radices. Planta quae quondam tenera vix certis suffulta erat radicibus, nunc in immensam elata arborem, flores propellit divinos, quos si tum salutaris excipiet fructus, quanta tibi o mens humana laus, quantus honos manebunt.

Estque omnibus modo artibus et scientiis in simpliciora tendendi conatus; et quibus olim rebus infinita elementorum confusa series fuit, una nunc alterave componuntur molecula.

Ipse Hahnemann, quem solum nominasse idem est ac controversiae fomitem accendisse, dum suum condit systema, non aliud quam simplicitatis studium laude dignissimum, utilissimum, nobis proponit.

Quantum vero in promovendis rebus humanis fortuitus possit casus, omnis aevi docent exempla. Et qui rerum inventarum prosequitur ordinem, vix aliud quam hujus fructus colliget; ita quidem, ut summae res vix non semper earum rerum fere imperitos, inventores suos celebrent; adeo ut aliquam, imo majorem partem progressuum humanorum ipso temporum progressui debeamus, qui dum vetusta corrodit, ex illis nova format producta, et suas, uti homo, certe habet aetates.

Testatur id recentissimus ille in medicina novissimae methodi auctor, imo creator, quem dum humilis nutriebat patrius humus, quem dum plumbea premebat in rebus medicis ignorantia, qua alter Prometheus, vitam in corpora marmore pejora infudit, et quod non aliud quam medicamentorum erat sordida aedes, vitae viriumque domicilium reddidit corpus humanum, eandemque, quam ille, retulit jam jam mercedem, aderatque jam rapax illa invidia, et solum rupes cui affigeretur deerat.

Quem hic adumbro Vincentius Priesznitz, paternarum quondam cultor terrarum, cui simplex uti naturae quae natales ejus cingit indoles, cui intactum ab omne artis labe ingenium (nec tamen omnibus, quibus ars et labes illius) purum quemadmodum aquae illae fontis, quem Castaliis cariorem reddidit aquis, ex quo vita nunc nova tantis scaturit; ille cui voluntas firma, et certa pectori securitas, semen jecit, cujus divini fructus non marcescent; et medicinam unico ditavit thesauro, qui non cedit omnibus, quae tot saecula pepererunt splendidissimis inventis.

Dum hic methodum ejus attingo, pauca de illa solum verba faciam. Suppono enim omnes in scientiis guaros, hanc penitus noscere; qui vero in aedibus his sacris non sunt initiati, procul absint ab hocce opusculo, nam et ego ut Horatius:

Odi profanum vulgus et arceo.

Erant jam saeculo elapso, ut taceam antiquissimos, praesertim inter Anglos, medici qui aquae affusiones et internum ejus usum summe utilia invenientes ejus usum fecerunt. Wright anno 1777, sed praecipue Cur-

rie, aquae usum in morbis sanandis induxit, sequebanturque eo tempore plurimi methodum ejus. Praedilexit ille aquam marinam, vel aquam simplicem sale saturatam, eamque aceto mixtam. Mylius autem Petroburgi contagio ibidem anno 1811 grassante innumeros, aquae frigidae fluviatilis affusionibus, sanavit typho obrutos. Nec tamen erat temporibus illis aquae usus genuinus. Multis enim simul remediis, effectus aquae jam promoventibus jam impedientibus, morbis obstabatur, nec illius dignitas ab ipsis usque cultoribus juste aestimabatur. Vix tamen haec curandi methodus primas coepit radices, quum jam, fato aliquo inimico, etiam densa illam obrueret oblivio. Fors quia nimium simplex, nimium naturae conveniens erat. Est enim ea hominibus indoles, ut avide arripiant et cupiant ad coelosque extollant eas res, quarum abstrusae rationes menti humanae haud facile pateant, quibus non tam salutaris, quam potius splendida est et oculos feriens indoles, miranda eo quod sit abstrusa; et vilipendant, abjiciant, imo detrectentur illa, quibus divina ipsa naturae simplicitas qua praecipua impressa est virtus. Homines sunt prout infantes; in illa feruntur quae, veluti ignis ardens infantis digitos adurit, eorum mentem et judicia confundunt et amburunt. Vanitatum summa omnino vanitas.

Per medium ideo fere saeculum antiquis lavabatur, concutiebatur, torquebatur, roborabatur, incendebatur, congelabatur, inaniabatur, exsanguisque, praesertim his ultimis diebus, reddebatur miserabile illud corpus hominis tot tantisque Cyclopum pharmaceuticorum armis urentibus; nec salus, nisi in illis quae corpori ma-

xime inimica sunt, adesse potuit. Ad tantum usque culmen culturae genus humanum elevari debuit, ut, non hoc ipso genio exculto, sed simplicis et non corrupti mentis opera ex tenebris educeretur remedium illud quod, summum hominibus beneficium, vigorem vitalem, et simul pharmacon contra morbos tutissimum contineret. Nunquam feliciori omine corpori humano laesio illata fuit, quam dum Priesznitz aetatis suae decimosexto digitum illum contusum retulit. Ex tam levi re, quam infinita sequela.

Methodus Priesznitzi.

Priesznitz, missis omnibus remediis pharmaceuticis, aegrum cui largum prius elicit sudorem, sanat aqua frigida, et solummodo aqua, extus intusque adhibita, aëre puro, libero, solerti motu corporis activo, victu simplici satis copioso, maximam partem frigido, animoque a vitae communis pathematibus quantum licet immuni, et morali illo influxu, quem spes, qua aegri semet illius curae confidunt, certae salutis recuperandae, producit.

Nempe tam chronico quam acuto qualicumque morbo detentus aeger, laneo panno ita involvitur, ut capite solum libero, reliquum corpus arctissime hoc panno involvatur. Ægro quietissimo jacente, profusus, imo profusissimus sudor toto defluit corpore. Durante sudore, cubilis fenestra aperta, liber aëris ductus sudantis et aestuantis faciem demulcet, et aquae recentis frigidae copiosus haustus sitim fallendo simul sudorem largiorem producit. Si vero hic non sufficiat modus, corpus aut universum aut singulae ejus morbo

affectae partes, linteis aqua frigida madentibus, qua fomentis humidis teguntur: quo modo certus et copiosissimus stillat, imo fluit sudor. Sudore per minuta aut horas protracto diversas, relate ad morbi rationem, aeger cute sudante, calente, aquae frigidae ad gradus 7-10 R. lavatis praeviae capite et pectore immergitur, vel aquae ex alto cadentis radio percellitur, vel solum madentis spongiae ope corpore demulcetur, uti id in nonnullis febribus fit. Praeparatur tamen aeger ad haec lavacra praevie lotionibus et balneis aquae frigidae ad gradus 12-18. — Balnea, pro diversa effectus et morbi ratione, a momentanea immersione ad horae usque in aqua moram protrahuntur. Semicupia tamen longius, pro ratione morbi, produci possunt. — Lintea humida composita pro diversitate circumstantiarum vel aqua stillantia vel fortiter expressa adhibentur: illa qua demulcentia, haec qua incitantia. Exit ablutus aeger refocillatus corpore, renatus; animo roboratus et consolatus. Dulce enascitur in illo desiderium, quanto ocius beneficum denuo intrare balneum; absimilis illis, quibus medicamenti sumti fastidium et abominatio aegritudinis sensum revera majorem reddit.

Hac ratione morbi praesertim chronici, criticis solvuntur cutis phaenomenis, eruptionibus diversae indolis, furunculis, ulceribus, ita quidem, ut malorum, quae jam jam aegri memoriam fugiunt, residua, in cute florem novum producant, ex quo totidem pro curantis antea medici corona flores propullulant. Palam fiunt reconditae et quasi sepelitae malorum et remedii mali latebrae; et aeger, qui, foedus saepe, adhibitis ex affusionibus, oculo fastidium erat, tum, meta-

morphosi vera, larvarum instar, in nobilius, purius mutatur ens.

Hocce est sceleti curae Priesznitzianae sceleton minimum. Multa adhuc de diversis methodi hujus provinciis dicenda forent; sed libris numerosis haec omnia et illa toties et toties repetita denuo ruminare taediosum foret.

Qui plura et rem penitus exhaurientia de hac re legere velint adeant opus laudabile D.r Granichstädten, et illud ejusdem meriti D.r Munde, quod dum ante annum Vir ille clarissimus, cui tanta est dulcedo pectoris, tanta acies ingenii, in Italicam traduxit, aditus Italis faciles ad haec aperuit, eoque summopere de hac re meruit.

Stupendae sunt in syphilidis inveteratae et omnia medicorum antea filtra peragrantis cura, post aquae affusiones vitae resuscitatae manifestationes; ipse mercurius ex cute manifeste excernitur, quasi tributum injustum penui pharmacorum redditum.

Stupendum et prae omnibus solventibus pharmaceuticis princeps remedium est aqua frigida interne et externe, contra formationem calculorum vesicalium; quod experimentis comprobatum constat. Et si certum est, quod vix in dubium vocari potest, diversam morborum indolem, multum ab ipsae vitae humanae periodo dependere, ipsos morbos corporis evolutione progrediente radicitus tolli; si verum est, quod, dum medicina firmioribus de die in diem suffulta pergat principiis, morbi antea insanabiles, aut cultro chirurgi victima cadentes mutabuntur, subvertentur et tollentur; dulcis affulget spes, fore, ut vastissimo hoc

omnia pervadente subjugante remedio, in medicinam labore indefesso illato et confirmato, fore, ut plurimi morborum chirurgicorum, aut jam in germine sufflaminentur, aut medicinae tradantur: id est morbis periculosissimis sublatis, hac ratione nova generi humano vita infundatur.

Quid dicam de contagiis, flagellis illis, quibus unico quasi ictu millena hominum delentur? Ex observationibus Mylii et Currie elucescit aquae contra haec virtus; qui fere indubitatum jam ante saeculum in ea remedium invenerunt. Hi enim, primus in Russia, alter in Anglia, contagiis ibidem typhosis grassantibus, aquae frigidae affusiones in operam traxerunt, felicissimo, non sperato eventu. Quanta inde in nosocomiis praesertim cohortum pugnantium, quanta ejus in omnibus industriae locis utilitas, quanta in universum prophylactica et roborans ejus in his casibus virtus.

Quid dicam de peste illa nostri aevi, de scrophulis, rachitide, de tantis illis syphilidis alumnis et prolibus? Quid de catervis malorum fructu brutalis illius omni humanae indolis charactere exuti actus, onaniae? Quanta in his aquae potestas, etiam illi, qui potius ignem, et juste, quam aquam his opponerent, mecum agnoscent.

Adsunt centena et millena hominum, quibus, quod unicum est hominis indicium, mens denegata est; infelicissimi orbis indigenae, qui sine remedio, qua cancro depascenti, suis committuntur ineffabilibus, si revera illi eas sentiant, miseriis. Et in his cur non aestimatur quae constat aquae vivificans indoles?

In vermibus quantum affusiones frigidae possint,

fidem superat; et ipse ego vidi puerum jam jam morti traditum, solis aquae frigidae clysteribus ad floridissimum statum perductum fuisse.

Quis non novit quanta aquae frigidae in operationibus chirurgicis dignitas?

Nec credo, nec volo autem ego aquae frigidae in medicina usum introduci ita, ut omnia alia qua penitus futilia judicentur remedia. Erunt certe casus, ubi aqua non omne feret punctum. Sed volo ut sit illa qua remedium principale consideratum et summum, quo unico plurimi morbi certe sanantur; alii vero, ad minus eo respectu in melius vertuntur, quod certum sit, aquae usu remediorum usque specificorum vim, in organismo laetiori effectu manifestari.

Nec tamen est usus aquae rationalis tam facilis, quam quis existimet, nec rudis qualiscumque manus hoc sacrum subministret poculum. Est et hic necessarium principiis bonis excultum judicium, aut naturalis illa sana facultas agnoscendi, quam felix ille montium incola a Deo dono coepit.

Nec minor est aquae frigidae recentis et bonae indolis usus quotidianus diaeteticus. Est vero hoc ipsum adeo difficile persuasu punctum, ut multos faciliori negotio de eo convincas, Æthiopes non esse nigros, sed nostrae solum retinae ita apparere, quam ut de eo illos persuadeas, aquae frigidae haustum in longe plurimis circumstantiis salutarem, imo unice talem esse, sit ille mane dum somno evigilas, sit post cibum cujuscumque generis comestum, sit dum somni capere velis oblivionem. Sed quid dicant matres tenerae, quibus aquae frigidae usus infantes occidere videtur? quid

illi heroes, quibus aquae haustu digestio laeditur? quid quibus lavacrum frigidum frigus corporis augere videtur? Et tamen certum est, hac ipsa aqua affusa calorem cutis ad sensum crescere, et homines fide fortiores reddi. Praesertim hac aetate mihi illa summe utilis videtur, ubi tot tantaeque consuetudines perversae aeneum requirunt pectus, ne his ipsis dulcibus consuetudinibus sanitas suffodiatur. Sum ego certe ille, qui vellem ut omnes homines omnibus possibilibus gaudeant deliciis; sed sum etiam persuasus, hoc tum solum sine damno fieri posse, si corpus relate ad haec gaudia forte et patiens sit: quod his in temporibus haud invenies. Imo vellem ut ipsis morbosis exponeremur potentiis, ut sic illarum nocivi in corpus effectus infrangerentur.

Placet mihi fabula illa graeca, qua Achilles aquis immergitur Acheronteis, et invulnerabilis inde extrahitur. Est revera immersio illa frigida hominis, quasi immersio ferri candentis in aquam.

Illi tamen, qui aquae frigidae usum in balneis faciunt, bene sibi notent, in balneo hoc non usque ad plenariam caloris animalis exhaustionem morari debere. Sed sint in aqua ideo ut vis reactionis excitetur, non autem exhauriatur. — Et qui aquam pro potu sumunt, caveant consilio illorum uti, qui hominem prout spongiam, certe sine ratione, inundare aqua contendunt. Sunt illi simiae, quae ex nimio amore parvulos suos occidunt. Nec unquam abusus, rationalis est usus. Modum hic cuilibet, ut et alibi, propria ponat necessitas.

Si vellem aliquos hic persuadere, cibos etiam frigidos absumendos esse, mente captum me crederent.

Sunt enim plurimi hominum, qui quanto magis calet, imo urit cibus et comburit, eo magis eundem exoptant, eo salubriorem credunt. His, existimo, venter caret sufficienti calore, et digestio nil aliud quam mera putrefactio est in caloris alto gradu.

Quid vero dicam de illis, quibus *aquavitae*, aqua illa mortis arridet?

Quam irreparabile damnum Italiae incolae vini et potus coffeae usum lactantibus usque infantibus concedentes, prolibus suis inferant, vix est computandum. Felices certe quod coelum hoc adeo suave, tantos et adeo graves errores benefice corrigat.—Quid dicam hic de pueris illis teneris, quibus modernae vitae ratio et educationis conditio, vix amplius humanae formae speciem concedit? Non aliud certe sunt, quam totidem in loco foetenti calore exclusi et nutriti fungi, quibus si aër ille, cui omne nostrae vitae robur inest accedat, mortem jam jam inducit. Millia aliquando fidem excedenti numero in educationem vestrarum profunditis parentes prolium, quo proh dolor, ut omnis diei tristis experientia comprobat, vix aliud quam totidem animo corporeque imbecilles conditis hominum umbras. Est enim moderni temporis fatale axioma, animum prae corpore excolere, testantur id tanta illa instituta (eodem modo, quo parentes nonnulli maleteneri unam alteramve prolem praediligunt); id est, culturae corporis et animae nequidem primam paginam noscere; est totidem mortis et malorum semina jam in tenellula prolium corpora omni conatu jacere. Erigatis pro millesima auri argentique illius copia gymnasticae omnis generis et natatus instituta; colatis cor-

pus simul cum anima; valeat et illo qui hac valet, ut divina illa coeli scintilla non tam sordido, malorum peste obruto, sed puro pariterque divino vase contenta vitam suam diradiet.

Et vos coetus humani dulce decus et ornamentum; vos, quibus natura amica partem optimam suae dulcedinis induit, tenellae puellae, virgines, quas ego qua vasa sacra altaris mei in pectore meo non hominum manu erecti, adoro; vos, quas veris pulcherrimi suavissimi flores, qua aemulas pulchritudinis invidiant; vos, quas sapiens ille Israëlis sapientiae suae praedilexit; vos, quibus vitam quam habemus debemus, vos vero a nobis nil nisi ipsam vitam accipitis: si cutis elasticam illam teneritatem, candorem; si genarum, oculorum illorum omnipotentem vim et ignem; si totius vestri corporis formam, quam Phydias quantum novit, illum invideo, sine labe velitis; adeatis sanctas illas aquas, quas omnis progemit montis limpidus rivus; et dum aurora primis suis tingit aquarum crystallum coloribus, et dum Hesperus primos in amplexus Lunae quasi properat, adeatis illas; et sit corpus vestrum animaque vestra pura, intaminata prout aqua illa; sit balneum prout Dianae sanctum, quod nullus sine poena visitet Acteon.

Est autem effectus aquae frigidae externe adhibitae adeo multiplex, ut vix non omnia diversissimis artis nominibus insignita remediorum genera suppleat. Praecipua tamen in morbis chronicis illius vis est alterans, derivans, fortificans. Quo fit, quod dum aquae in papillas cutis nerveas actio per totum diffundatur, antagonismi et consensus ope organon, vitae speciosissimae sequantur mutationes.

Admiranda est illius temperaturam augendi facultas, qua fit, quod dum tempore hiemali lavacrum aut balneum frigidum sumatur, corpus bullientis instar aquae vapores copiosissimos diffundat, et tota cutis amoenissimo obvolvatur calore. Ego quotiescumque mane ex lecto sudante corpore (quod certe requiritur et utile est) lavacrum totius corporis feci, fecique id fere quotidie, dulce aliquod totam vitam pervadens percepi solatium, et pectus mihi tutiori rhitmo harmoniae vitae praefuit, et dulce erat ineffabileque quo ferebar in vitam conamen. Adeo usque vitam ipsam gratam et amoenam reddit aquae illa vivificans affusio. In morbis prostratae, imo jam jam sufflaminatae vitalitatis, et in lypothimia effectus illius notissimi. Est vero scopus affusionum duplex: vel mere dynamicus, vel dynamico-materialis, nempe in producendas simul diversas metamorphoses criticas materiales tendens. In morbis febrilibus effectus illius esse debet, vitae factores morbo labefactatos viribus novis induere, et in reactione vitali, febri nempe processum ex corpore morbosum detergere. Est itaque ejus universalis in omnibus malis effectus, vitae ad altiorem potentiam evectio, qua sic ipsa haec vitae efficientia, vinculis quibus detinebatur soluta, ipsa sibi victoriam valida expugnet lucta.

Est adhuc unus non verbis non ponderibus aestimandus ejus effectus; est nempe ille effectus moralis, quo hominis voluntas firmior in actionem summe laudabilem determinatur; ad vitae nempe propriae conservationis valorem aestimandum. Infunditur nova vis moralis, et qui pusillanimis morbum qua hostem do-

losum antea juste perhorruit, nunc in illum debellandum propriis nititur viribus.

Dignum igitur cujusvis regiminis attentione sit, instituta pro aquae frigidae usu erigere, vel erecta protegere. Dignum jam vel ex eo solo respectu, quod contagia, flagella illa, si non penitus praecavere, certe imminuere, existentia moderare, et illius tristes effectus mitigare hoc remedio licebit. Sed et eo, quod ex omnibus, quae genus humanum felicius et infelicius reddiderunt inventis, hoc unicum sit, quod in omnes homines, omnis aetatis, sexus et conditionis aeque salutares habeat effectus.

Aderunt certe homines, quorum cerebrum quidem humanum est, nempe ponderat (fors) tres libras, sed cujus omnes simul sumtae vires, ideae, revera ad imponderabilia pertinent; hi non volent haec, quia non poterint, destituuntur enim voluntate. Aderunt et docti philosophi, homines in universum, qui omnia quae non illorum obscura et tetra invenit cerebri officina, qua nequam impugnant: homines quos dum fecit natura ipsa ingemuit dolore.

Aderunt alii minus sinceri, sed magis astuti, qui propter perdenda ex veteri caligine orta emolumenta, omne execrantur novum, id magis peste fugiunt, veri generis humani incubi. Hi omnes id non volent. Sed tamen manebit hoc, qua pyramis illa deserti, quam tot saeculorum furiae et tempestates frustra impugnabant, et crescet viribus, crescetque salutaribus suis effectibus. Quantopere est risu dignum videre certos homines contra mentis omnicreantis perpetuum fluxum irresistibilem luctare. Percurrit curriculum, quod

semel incepit mentis humanae naturalis impetus, et si per saecula centenis obrutum sileat oppressionis jugis, perrumpet vincula, permeabit vitam intimam, remotissimaque cordis receptacula, et creabit illa quae nulla supprimet temporis vicissitudo, nulla hominum industria. Me vero, qui haec dico, multi stultum appellabunt. Ego autem dico, me talem esse, cui nullum gloriosum systema, non speciosissima verba magistri, nulla auctoritas, nisi illa unica, hominum nempe salus cordi est. Qui vellem ut omnes quibus vita est hominibus ea dulcis esset et firma sine medici cujuscumque interventu, et felix ab omni hominum injuria immunis, vellem ut esset, prout ego illam desidero, mollis, uti est somnus infantis in tenero matris amplexu.

Maxima pars Austriae usum aquae frigidae recentis medicum et diaeteticum introduxit. Adsunt plurimis in locis Instituta pro hac re salutari. Patria mea, culturae omnis generis nunc adeo amans, plurimis in locis hoc salutare offert refugium peccatorum. Italia fortassis sola excipitur, in qua, quo major necessitas usus aquae, eo minor in illum conatus. Æstate languent his in oris exhausti calore homines, febribus obruuntur biliosis, quibus sors aegrotandi contingit, animus dejectus fugit omnem laborem, somnus plumbeus et plumbo similem reddens, omnes obruit duro imperio. Ast aqua fugitur, et potius sanguis qui superabundat mittendus. In tanto juventutis numero, qui quovis anno Universitatem hanc visitat, vix decima pars aquae amica; reliqua inter aquas quidem nascitur, vivit et sepelitur, sed nonnunquam tota vita, aquae hujus illum cingentis non est expertus dulce frigus, refocillantem, roborantem

virtutem. Sed ubi adsunt juvenes vix e scholis egressi, quibus sanguis pro aqua valet qui, similes gladiatoribus, dum e lucta prodeunt, sanguine tinctas ostentant manus, quibus nil quod mite, nil quod suave, nil quod naturae convenientissimum est, placet, propriis illis suis gentis humanae excidium portantibus armis, morbos et vitam aggrediuntur, et si non occidunt certe non vivificant, his haec dulciora et suaviora vix arridebunt. Vellem ut Dante divinam suam nunc componeret Comoediam; certe illis arenae heroibus tantundem loci in sua consecraret Comoedia; illis, qui quamvis bene sciant, quod omnibus quibus sanguis uratur, comburatur, torqueatur, decomponatur in suas partes processibus, ne minima quidem sanguinis gutta paretur, tamen vim vitalem suis totidem tormentis opprimunt et destruunt potius, quam ut in illam suffulciendam, erigendam operam suam converterent. Apud nos, in patria mea, redeuntibus festis Resurrectionis, aqua frigida aut rosarum, copia non exigua amicis adspergitur, ut eo resurgentis ex somno hiemali naturae impetus vivificans oculis offeratur, praemium illius est ovum roseum, quod iterum vitae est symbolum. Hi illis sunt similes, differentia ea, quod aqua illorum alios vivificet et rosei odoris delectamenta spargat; hi vero semetipsos aliorum sanguine foedos reddant, et quem profundunt vitae humorem stygios redoleat odores. Sunt itaque similes hi illis eo, quod modum omnem uterque ignorent.

Hic in Italia, ubi prima post Graecos fuerunt si non utilitatis ast luxuriae causa lavacra, balnea; ubi hodie adhuc miramur gloriosas illas balneorum rui-

nas, residua temporum illorum, quibus mens humana ob nimium quo lucebat splendorem in vana et inania labi incepit; hic facilius ignem quam aquam hominibus amicam reddes. Juventus illa, quae gaudium in pectore cuique non injusto judici excitaret, si quod sortis est non illius indoli attribueretur, est illa mollis et effeminata adeo, ut amarum infundat cuilibet qui illi amicus dolorem. Pectus quod apertum rigido etiam exponendum esset coelo, ut sic temporum et hominum forte perferret inimicos ictus, est illud adeo miserabile illorum pectus decuplicatis stratis laneis, quasi aliquod inexpugnabile propugnaculum, non obtectum, sed absconsum, immersum, obrutum. Ex capite, quod oculis haud videtur, si tibi obvius fit, non hominem; sed ex naso, cui misera contigit sors esse quasi indicem humani simulacri, capitis suspicionem habes.

Est tamen tibi, juventus Italica, vigor, ingenium, facultas omnis pulchri sublimisque, dicant quae velint alii. Est tibi innata illa coeli tui facundia, suavitas, harmonia, quam alii populi quantumque studiose cupiant, solum hic hic sub tuo coelo inveniunt. Sed deest tibi modus et limes, qui viam amica tibi signet manu, qui tuas moderetur iras, confirmet et augeat divinos tuos affectus.

Est mihi adhuc amata juventus illa, quam patria mea nutrit terra. Est mihi amata juventus illa, quam terra nutrit, quae primas meis obtulit oculis coeli sui et terrae et aquarum et universarum suarum divitiarum dulces imagines, quae eodem lacte quo ego nutrita, eadem lingua, eadem voce, iisdem amplexibus,

iisdem cordis ictibus vivit et sentit. Est et illi, de qua omnes nunc extranei tam injuste judicant, virile in pectore cor; est illi virtus et fortitudo; est adhuc intaminata illi innata vis, quae nullis cedit impedimentis; est illi vigor ille summus, qui omnibus quos adhuc non corrupuere vitae luxuriosae ludibria, ex quo gloriosa quondam propullulabunt facta. Esque tu tenerissimo mihi amata affectu, patria felix, donec tales nutrias proles. Me fata fors procul adhuc et pro longo tempore ab amoenis tuis arcebunt ruribus; sed non dantur vasta satis maria, non montium immensurata juga, non desertorum incalcata muta silentia, quae omnia me in mente, in corde, in affectu a te divisum teneant. Unico et unico solum conatu omnes meae actiones et affectus ad tuas tendent virgineas nemorum umbras. Et quo albidus ille, fluviorum tuorum princeps, Danubius, mollibus tuas alluit ripas undis, tuorumve vetustae gloriae dirutorum castellorum imagines irrequietus depingit, genius meus indefessus vigilabit; et flores quos ego tibi educare cupio (si unquam mens mea plusquam aridissima terra ferat) tuis ex longinquo interponet indigenis coronis.

THESES

I.

Hydriatria homoepathiaę optimo jungitur effectu.

II.

Non qui morbum etiam aegrum sanat.

III.

Potius systema quam aeger sacrificetur.

IV.

Populatio dum culmen attingit ipsa sibimet excidio est.

V.

Sudor methodo Priesznitz elicitus non debilitat; et

VI.

Est necessarius ad vitae reactionem sequenti balneo frigido laetius evolvendam.

VII.

Aquae Recobarienses sunt roborantes.